

praesentibus aequaliter partiantur, de septem vero residuis dabuntur ecclesiastico quatuor denarii et custodi pro talento cerae ad duos cereos octo denarii, quibus in festo sancti Andreae infra matutinas ad pulpitem luminetur, et sex solidi residui deservientis capellae pretium sint scholaris. Volens quoque idem Cunradus festum beati Andreae ex devotione speciali in choro tamquam unum de summis festis peragi, habito consensu capituli, agros sitos in superiori Warta^{e)}, quos erga Hartungum de Paseliz pro sex marcis comparavit, sito ibidem donavit et adiunxit allodio, quod Hugonis de Goluz fuerat, deservienti vineae in Libeneke, ut de ipsa vinea duae urnae vini, una dominis et altera sociis in ipsa festivitate choro suam praesentiam exhibentibus perpetuo annis singulis ministrentur. Ne autem ab aliquibus in posterum huiusmodi laudabile factum immutari valeat aut infringi, praesentem litteram super eo conscribi et eandem sigillis domini nostri Witegonis Misnensis episcopi et nostri capituli fecimus roborari. Datum Misnae anno domini M^o. CC^o. LXIX^o. Kal. Febr.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an Fäden von weissem Zwirn.

e) Oberwartha, Par. Briessnitz.

No. 208. 1269. 25. Apr.

Erzbischof Conrad von Magdeburg sendet dem B. Witego eine Vorladung zu Verhandlungen über angebliche Eingriffe desselben in die Diöcesanrechte des B. Wilhelm von Lebus.

Conradus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus venerabili in Christo fratri domino W. Misnensi episcopo salutem in domino cum dilectione fraterna. Conquestus est nobis venerabilis pater dominus W. Lubucensis episcopus, quod vos dei timore postposito clericos aliquot territorii de Schidlowe, quod ad suam diocesim asserit pertinere, compuleritis violenter ab ipsius obedientia recedere et vobis indebite obedire, sic eum contra iustitiam eiiciendo ab illis, in quorum possessione vel quasi semper fuerit et praedecessores eiusdem. Quare vos citamus peremptorie in his scriptis, quatenus aut in persona propria aut per procuratorem sufficienter instructum compareatis coram nobis in Magdeburg in ecclesia maiori in crastino beati Martini proximo venturo, praedicto domino episcopo super praemissa violentia responsurus, scituri etiam quod si ad diem aliquam compositionem cum eo amicabilem inire volueritis, nos ad hoc in quantum possumus operam dabimus efficacem. Datum in Magdeburg VII. Kalendas Maii anno domini M^o. CC^o. LX^o. IX^o.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel ist abhanden gekommen.

No. 209. 1270. 20. Mai.

B. Dietrich zu Naumburg verkauft um die Einlösung des Schlosses Crossen bewirken zu können vier Hufen Landes zu Hildebrandisdorf an den Probst und das Capitel zu Zscheila.

In nomine domini amen. Theodericus dei gratia Nuemburgensis episcopus universis Christi fidelibus praesentem litteram inspecturis in perpetuum. Quoniam labilis est hominum memoria, quae fiunt ab hominibus ne in oblivionem veniant, per-